

B. N. II, 105. 460, 10.

S. 22, 10.

II n  
4272

Q. D. B. V.

HISTORIA ANTIQVA  
LIBERÆ ATQVE IMPERIALIS CIVI-  
TATIS

NORIMBERGÆ.

Qvam

SVB PRÆSIDIO

CASPARIS SAGITTARII  
SS. THEOL. D. HIST. PROF. P.  
ET. FACVLT. PHILOS. H. T.  
DECANI

PVBlico EXAMINI PROPONIT

ANDREAS STRAVB

NORIMBERGENSIS.

Ad d. Januarii.



JENÆ

TYPIS GOLLNERIANIS.





SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERÆQUE REIPVBL. NORIMBERGENSIS  
SENATV INCLVTO

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, PRÆSTRE-  
NVIS ET PRVDENTISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

DVVMVIRIS

TRIVMVIRIS

SEPTEMVIRIS

CONSVLIBVS

SCABINIS

ceterisque

SENATORIBVS

PATRIÆ PATRIBVS VIGILANTISSIMIS

DOMINIS AC PATRONIS SVIS

OMNI HONORIS ET OBSERVANTIÆ CVLTV  
ÆTATEM DEVENERANDIS

Monimentum devotissimi obsequii sistere  
ac præsentem Dissertationem cum prolixo omnigenæ feli-  
citatatis voto

*humillime offerre & consecrare  
voluit*

ANDREAS STRAVB.







# CAPVT I.

## LAVDIBVS ET NOMINE NORIMBERGÆ.

### SVMMARIVM.

1. Congeries laudum Norimbergæ Urbis. 2. Speciatim ex Laonio Chaleocondyla & Frebero. 3. Ex Aenea Sylvio. 4. Ex Scaligero. 5. Conradi Celtis liber de origine, situ, moribus & institutis Norimbergæ, & Erasmi Michaelis Lati de Republ. Norimbergensi libri IV. laudantur. 6. Plena Urbis historia nondum prodit. Quid de MSS. Chronicis Norimbergensibus sentiendum. 7. Nostrum in scribenda Historia Norimbergensi propositum. 8. De nomine Norimbergæ. An sic dicta a Norico Herculis filio. 9. Fabulosa sunt quæ feruntur de hoc Norico. 10. Norimbergæ appellatur mons Noricus. An a provincia Norico nomen habeat: quod multi volunt. Epitaphium Rupertii Imperatoris. 11. Norimbergensia non pertinent ad Noricum, cuius fines describuntur. Forte incolæ Norici secesserunt in ea loca, ubi nunc est Norimbergæ, ibidemque castrum exstruxerunt. 12. Norimbergæ forte a Noriscis, qui vulgo Naviscis, sic vocata: quæ est Dn. Conringii sententia. 13. Falso Norimbergæ origines ad Tiberium Neronem referuntur. 14. An Norimbergæ dicta quasi Nârenberg. 15. An coaluerit ex voculis: Nur ein Berg. 16. Norimbergæ non est Ptolomæi Segodunum.

### §. I.

**S**I quæ Germanicarum urbium egregiis maestata laudibus, ea certe Norimbergensis est, utpote in qua celebranda ac commendanda certatim præclarissima ingenia vim suam experiri voluisse visa sunt. Nunc enim Civitas totius Germaniæ fere maxima, & amplissima; nunc κοινῶντι ἡς γῆς ἐργαστηρίον

A

gior



gior, communis quaedam orbis officina; nunc flos ac decus Imperii Germanici; nunc Urbs tota Germania. & apud exteras gentes nominatissima, celeberrimaque, Emporium Germania amplissimum, magnificis operibus publicis & privatis ornatum; nunc lectissima ac florentissima Rerum publ. ceterarumque speculum & exemplar appellari solita. Quin imo Carolus IV. Imp. praecipuam ac commodissime sitam urbem (Die baß-gelegeste Stadt des Reichs hie zu Land: in der Cassation von Abthung der Zehl und Gleid Anno Christi MDCCCLXVI. apud Melchiorem Goldastum (tom. II. der Reichs-Satzungen pag 162.) & Martinus V. Pius II. & Nicolaus V. Pontifices in Bullis suis, praeter ceteris illarum partium Imperialibus civitatibus, oppidis, ac locis potentem, insignem ac famosam, Ecclesiastico decore conspicuam, Christianae fidei devotissimam, etiam utriusque sexus zelatoribus praepollentem, in regenda Reipubl. Politia singularis prudentiae viris ornatam salutarunt.

§. II. Quid quod Laonico Chalcocondylæ, homini Graeco, patria Atheniensi, qui seculo decimo quinto floruit, Norimberga nostra, quam ipse de rebus Turcicis lib. II. Νοβεργου appellat, πόλις εὐδαίμων audiat? Quod encomium attentius cum consideraret Marquardus Freherus Tom. II. Scriptorum Rerum Germanicarum in Commentar. ad hunc Chalcocondylæ locum exclamat: Magnum elogium: magnum! Unde estimare licet, qua tunc temporis celebritas & splendor urbis fuerit: quae tamen postea multis modis auclta & amplificata est.

§. III. Proxime hujus ævum Æneas Sylvius Cardinalis Senensis ad Martinum Majorem Ictum scribens, non parcis laudibus εὐδαίμωνίαν illam nobis explicat: Dic, rogamus, inquit, quam facies hujus urbis? qui splendor, quae amœnitas, quae delitie, quae forma regimini? quid illic ad civitatem omni ex parte perfectam desiderare quispiam potuerit? Quis venientibus Franconia inferiori & procul spectantibus ejus urbis aspectus? quae majestas? quod decus ab extra visentibus? quis intus nitor platearum? quae domorum munditia? Quid seu Sebaldi templo magnificentius? quid splendidius D. Laurentii delubro? quid arce regia vel superbis, vel munitius? quid fossa, quid mœnibus illustrius? Quot ibi civium aedes invenias Regibus dignas. Cuperent tam egregie Scotorum Reges, quam mediocres Na-



rimbergæ cives habitare. Idem cap. XXXI. de Europe statu sub Fri-  
derico III. Imp. Urbs ea nobilis, magnificis operibus publicis ac priva-  
tis ornata est: amne Pegnitio interlabente, in agro sterili & arenoso  
condita: atque ob eam rem industrioso populo. Hinc multe illis di-  
vitie, & magnum in Germania nomen. Aptissima Imperatorum  
sedes, libera urbs, & in medio ferme Germania sita.

§. IV. Illustris quoque Vir Julius Cæsar Scaliger aureos  
de tanta Urbe versus fudit, ac dignos propterea, quos huc  
transcribamus.

*Diva mihi extremi da munera sacra laboris,*

*Non tamen extremo conspicienda loco.*

*Sed velut abducto veneramur in ordine cætum.*

*Hic ubi nature sine quievit opus.*

*Non potes æthereis deducere sedibus astra:*

*Invenies tibi quæ Norica terra dabit.*

*Hunc sibi corruptas terras Astræa relinquens*

*Fatali statuit sede tenere locum.*

*Quis putet horrifico sociatas Marte Camænas?*

*Sacra tamen duplex tempora laurus obit;*

*Martis habe, & Phœbi felicia tempora laute.*

*Sanctæque sit valido cedere junctæ fides.*

*Omnibus ex istis ne tu, ne dempseris unum,*

*Addere quin potius omnia magna, tuum est.*

§. V. Et ne nimii in congerendis tantæ urbis encomiis vi-  
deamur, sufficerit hoc loco Duum viros illos in medium afferre,  
qui singulari opera, alter quidem soluto, alter ligato sermone in  
decantandis Norimbergæ laudibus fuerunt occupati. Et ho-  
rum quidem prior est Conradus Celtes Protucius, qui primus  
Germanorum laurea poëtica, & quod maximum, manu ipsius  
Friderici III. Imp. svasu Friderici Sapientis Saxonæ Electoris  
est ornatus. Hujus enim clarissimi viri elegantem habemus  
libellum de origine, situ, moribus & institutis Norimbergæ inscri-  
ptum, & inter opera Viri Illustris Bilibaldi Pirckheimeri, Sena-  
toris & Patricii Norimbergensis relatum, ut & Francisci Irenici  
Ettelingiacensis Exegesi Germanæ junctum. Alter est Erasmus  
Michaelis Lætus, Professor Hafniensis; felicitis ac divitis venæ



Poëta, qui de Rep. Norimbergensium libros IV. conscripsit Francofurti anno MDLXXIV. excusos.

§. VI. Sicuti autem præcones Norimberga nacta plurimos, ita dolendum non immerito, qui justam tantæ urbis historiam conderet, repertum fuisse neminem: aut si quis unquam has suscepit curas, in lucem nondum prodiisse. In publicis quidem privatisque Bibliothecis passim latitare Chronica Norimbergensia, haud diffiteor: verum quia pleraque ab hujusmodi hominibus scripta, quibus ad istos conatus rara fuere præsidia. ac ne ipsius Reip. nedum universæ historiæ Germanicæ facies perspecta satis, forte sine magna rei literariæ jactura iisdem poterimus carere.

§. VII. Interim dum nos aliorum operam dispicimus, subiit animus quædam in concinanda celebratissimæ urbis historia tentare, ac primum quidem antiquiora rimari, post, si Deo ac Patronis ita visum, ad mediam, ac denique recentem historiam devenire.

§. VIII. A nomine exordiemur: de quo etsi certa vix dabitur afferre, varias tamen enarrabimus sententias. A Norico Herculis (nescio cujus) primogenito Norimbergam quidam volunt & conditam & appellatam: quod in Annalibus Bojaricis Johannes Aventinus reperit, cujus integram de hoc Norico. commentationem adscribam ex lib. I. Annalium Bojorum.  
„ Ad Herculem, *inquit*, unde diverti, redeo. Eidem complures  
„ adsignantur liberi. Noricus primogenitus, Hunnus, Helvetius, Bojus minimus natu. Postquam mortuus est, fratres uti  
„ fit, de regno contendunt, Rhomus qui tum trans Rhenum in  
„ Gallia imperitabat, propter disensionem fratrum regnum dividit, terminos imperii singulis distribuit. Noricus intra amnes Danubium, Oenum, Draum, Italiamque: Noricus, antea  
„ Tauriscos dictus, à Taurisco Rege, quem Hercules interemit, progenuit a se dato nomine. Omnes ejusdem cardinis populos Herculeam esse prolem, Plinius literis mandavit. Quando autem plures fuisse Hercules pro vero constet, cujusnam  
„ filius Noricus fuerit, ambigitur. Schritovinus & Freitolphus  
„ tribuunt eum Lybio Herculi Ægyptio, qui in Hispania interiit.



„riit. Vitus Arenpeck Græcorum Herculi ultimo piratarum  
 „duci vendicat. Me haud pœnitent eorum esse sententiæ, qui  
 „ipsum ex Hercule nostro prognatum adfirmant. Opus Norici  
 „est Noreia urbs Tauriscorum. De qua ita Strabo narrat: A-  
 „quileja extra fines Venetiæ est, flumine ab Alpibus descenden-  
 „te determinatur, per quod sursum navigatur stadia mille du-  
 „centa usque ad Norejam, ubi Cn. Carbo collatis adversus  
 „Cimbros signis, re infecta discessit: eandem à Bojis oppu-  
 „gnatam Cæsar; interiisse Tauriscis, Plinius refert. Quidam  
 „Goriciam esse autumant: quod neque affirmare neque refel-  
 „lere in animo est. NEROBERGAM quoque, quæ diploma-  
 „tibus & Cæsaribus Noreioberga est, ab ipso conditam esse tra-  
 „dunt annales nostri: quam si interpreteris, Norici montem  
 „valet: quo nomine ab Ottone Pontifice Fruxinensi nominari  
 „solet.

IX. At enim valde vereor, ne, uti incerta sunt omnia quæ  
 do hoc circumferuntur Norico, ita quoque in fabulis cubent  
 Norimbergensis urbis Norico Herculis filio attributæ origines.

X. Interim quia præter Ottonem Episcopum Frisingensem  
 plures rerum Germanicarum scriptores Norimbergam *Noricum*  
*montis* appellatione mactant, non tam ab hoc fabuloso Hercu-  
 lis gnato, quam a nobili Romanorum provincia Norico hoc no-  
 minis accepisse, eo ipso videntur significare. Et placuit hæc  
 sententia quibusdam junioribus: ex quibus nunc succurrit Æ-  
 neas Sylvius in *Commentario de Europa statu sub Friderico III. c. xxxi.*  
 quem Marquardus Freherus Tom. II. Scriptorum rerum Germa-  
 nicarum inseruit, sic scribens: *Multæ civitates Imperiales apud*  
*Francones florent. De Norimberga dubium est, Franconia an Ba-*  
*joaria cedat. Ipsum nomen indicat ad Bajoarios urbem pertinere:*  
*Norimberga enim Noricum montem significat, ob quam rem patet*  
*Noricorum civitatem fuisse. Noricis autem Bajoariis successere:*  
*se nunc ea portio terra Baoria quæ inter Danubium & Norimbergam*  
*jacet Noricum appellatur: Stephanus Ritterus Gymnasii Corba-*  
*ensis Rector, qui Cosmographiæ Prosometricæ lib. IV inter alia*  
*sic scribit: Nomen Noriberga est adeptum a Norico, cuius est limes,*  
*quasi mons Noricus. Johannes Limnæus quoque huc inclinat* *Juris*  
*Publ.*



Publ. lib. vii. cap. xxxv. *Mibi, inquit, illorum placet opinio, qui Noribergam Noricorum, vel Noricum interpretantur montem, quo nomine etiam in Epitaphio Ruperti Comitis Palatini & Imperatoris Heidelbergæ in Ecclesia Sancti Spiritus clara est. Heberer in Servitute Aegyptiaca lib. 1. cap. 11. Postquam enim Hunni, ut aliis plerisque, ita etiam Noricis maxima sapius inferrent damna, ceperunt de securitatis sibi prospicere loco, atque huc, ubi nunc Noriberga est, confluere. Itemque Conradus Celtes de Norimberga cap. II. Norici quondam, a quibus nomen colli ( qui Principis venationi cubiculum erat ) & urbi est, dum ab Hunnis premerentur, ut gravissimi authores produnt, ea natura loci perspecta, & quod esset ab incursionibus tutissimus, & ob omnis vicinitatem ad inhabitandum accommodus, in eo castellum rudi opere communiere. Ad amnisque ripas liqvatorias & ferrarias elaborandi molliendique ferri officinas ( quæ arte gens illa ab antiquo claruisse memoratur ) extruxerunt, rotasque impetu & rapiditate amnis circumactas machinasque ad varios usus & partes inventas fabricavere. Quem locum præ oculis habuit Petrus Bertius Rerum Germanicarum lib. III. hæc commentans: Norici advene lecta hic insaltu Hercynio mansionis sede, quod ea esset ab Hunnorum incursionibus tutissima, & propter amnium Pegnesi & Renesi viciniam ad inhabitandum commoda, castellum primum in colli rudi opere condidere; ad amnisque ripas liqvatorias & ferrarias elaborandi molliendique ferri officinas ( hac enim arte præ ceteris nationibus excellabant ) extruxerunt, rotasque posuerunt impetu & rapiditate amnis circumagendas ad varios artium suarum usus. Nec minus Matthæus Dresserus Isagoges Histor. parte V. de Urbibus Germaniæ: Norimberga quasi Noricorum mons condita est a Noricis in Hercynia sylva, ut eo tanquam in latebras profugerent, cum ab Hunnis late Germania vastaretur. Epitaphium RUPERTI ex Bavarix Duce in Regis Germanorum fastigium sublato, cuius meminit Limnæus, quodque apud Daniele Paræum in Historia Palatina p. 158. exstat, subijcimus: ROBERTVS. BAVARIÆ. DVX. COMES. RHENI. PALATINVS.*



NVS. ROMANORVM. REX. PACIS. ET. RELI-  
GIONIS. AMATOR. DIGNVS. DEO. VISVS.  
QVI. PRO. IUSTITIA. PATERETVR. HVIVS.  
SACRÆ. ÆDIS. ET. COLLEGII. INSTITVTOR.  
HIC. CVM. CASTISSIMA. CONIUGE. ELISA-  
BETHA. NORICI. MONTIS. BVRGGRAVIA.  
QUIESCIT. VITA. FVNCTVS. ANNO. CHRI-  
STI. MCCCCX. Cal. Jun. XV.

§. XI. Ceterum si Noribergam a Norico dictam velimus,  
vel quod in Norico sita, vel Norici limes fuerit, nequaquam ad-  
stipulabuntur nobis Geographorum filii. Neque enim un-  
quam Norimbergensis ager Norici veteris portio, nec Norimber-  
ga inter Norici terminos computata fuit. Dirimebatur quip-  
pe Noricum Septentrionem versus a Germania magna Danu-  
bio, in meridiem Italiae Alpibus commissa, ad occidentem So-  
lem Oeno flumine a Rhætis & Vindelicis, ad Orientem Cetio-  
monte a Pannonia discescebatur: quam in rem legantur Clau-  
dii Ptolomeus *Geograph. lib. II.* Bilibaldus Pirckheimerus in  
*Descriptione Europa*, Marcus Velserus *Rerum Boicarum lib. II.* Phi-  
lippus Cluverius in *Vindelicis & Norico cap. V* Quod si vero No-  
rici veteris incolas vel ab Hunnis pulsos, vel a novis Hunnorum  
incurSIONibus sibi timentes, in ea loca, in quibus sita Norimber-  
ga, confedissee, castrumque construxisse, luculenter posset com-  
probari, non adeo forte huic denominationi repugnarem. Sic  
enim & Sachsenburgum & Sachsenhusam Saxones, Francofur-  
tum & Franckenhufam Franci, quantumvis neque in Saxonia,  
neque Francia, condiderunt.

§. XII. Quid si autem Norimberga non tam a Noricis,  
quam Noriscis Germania populis nomen adeptae? Sane ex Ta-  
citi *Germania* novimus, terras illas quondam tenuisse eos, qui  
Norisci appellantur, qui forte dicti fuerunt *Norisci*. Conje-  
ctura hæc est viri incomparabili doctrina, ac infinitis in rem li-  
terariam meritis illustris Domini Hermanni Conringii, cuius in  
laudatum Taciti libellum *Notis Criticis* in hanc sententiam le-  
guntur sequentia: *Nisi & apud alios veteres illius ævi eadem vox  
occurreret, dixerim Tacitum scripsisse Norisci. Et vero plane iisdem  
sedibus qui ex eo usque degerunt populi, dicuntur vulgo Norigovi. Aliis  
hodie*

B



hodie regio isthac audit *Noricum*, cum tamen *Noricum Romana* fuerit provincia cis Danubium, *Norgau* autem sita sit in media Germania. Si retinenda igitur ea Taciti vox *Narisci*, dicendum omnino fuerit, post mutasse, & ex a factum o. Gemina ad Excellentissimum hujus Dissertationis Præsidem laudatissimus vir perscripsit præsentis anni mense Februario, quæ cum utriusq; venia hic repetam. Ex Tacito novimus, terras illas quondam tenuisse eos, qui *Narisci* appellantur, forte autem fuerunt dicti *Norisci*. Ab iis arbitror conditam ibi arcem, quæ a conditoribus acceperit nomen. Vulgo a quam multis solent tribui sedes ille *Noricis*: sed ex ignorantia nominis *Noriscorum*: a quibus *Norici* plane fuerunt diversi, utpote qui non fuerint Germani, & vixerint in solo Romano cis Danubium: *Norimbergam* a Nerone esse conditam fabula haud dubie est inepta & ridicula. Eandem repetit sententiam à πάλυ Conringius in alia ad laudatum Dominum Præsidem mense Augusto missa epistola: Jam tum de *Norimberga* nomine scripsi sententiam meam: montem scilicet illum, a quo urbi est appellatio, ab antiqua *Noriscorum* Germanie gente dictum: etsi nimirum vulgo in Taciti libello gens illa audiat *Nariscorum* nomine; videri tamen potius legendum *Norisci*, prædem monui inter Taciti libelli notas Criticas.

§. XIII. Rectissime autem docuit Conringius, fabulam sapere, quæ vulgo de *Norimberga* a Nerone condita circumferuntur: ac optime porro scripsit Bertius paulo ante laudatis commentariis: Qui in hæc usque loca penetrasse Drusum aut Tiberium, & his locis *Noricos* devicisse, arcemque condidisse putant, non sunt veteris Geographiæ aut historiæ satis gnari. Est tamen in hac opinione Gerardus Mercator, sive quisquis auctor est *Notarum ad Atlantem majorem*, ea de re sic scribens: Civitas licet per vetusta non sit, tamen castrum ejus in edito colle situm, quod olim castrum *Noricum* fuit appellatum, est antiquum. Constructum enim a Claudio Tiberio Imperatore, unde etiam castrum *Neronis* dictum fuit. Et *Adrianus Romanus* in parvo Theatro urbium: Castrum *Noricum* ibidem constructum fuit a Claudio Tiberio Imp. unde etiam *Neronis* castrum dictum fuit. Hartmannus Schedelius in *Chronicis Norimbergæ* anno cjo ccccxciii. impressis, ac id propter vulgo *Chronicon Norimbergense* dictis *Arx regia* in colle urbi supereminet  
viti.



vetustissima, ex qua intra urbem & extra prospectus est. A qua civi-  
tatis nomen ortum fuisse quidam arbitrantur, quam plerique a Tibe-  
rio Nerone Imperatore post Tiberinae constructionem conditam, aut a  
Druso Nerone fratre suo, qui Germanos devicit, denominatam di-  
cunt Nerobergam. Similiter, ex aliorum tamen mente, Stephe-  
nus Ritterus: Nomen est adepta, inquit, a Nerone Cesare, quasi  
Neronis purgum, quod Tiberius Nero Thuringis bellum illaturus, illis  
castra sua locaverit. Sed quæso quando Tiberius Nero Thuringos  
bello voluit aggredi? In Romana certe horum temporum hi-  
storia nec vola hac de re exstat, neque vestigium.

§. XIV. Forte etiam quis suspicari posset a Germanica  
voce *Nären*, alere, nutrire, vel exin derivata, *Narung* / *alimentum*  
nomen huic urbi datum: quasi scilicet commodus loci situs mul-  
tis incolis vicinisque alendis suffecerit. Et nescio fane, annon  
huc respexerit Aventinus, in *Nomenclatura quorundam proprio-  
rum Germanorum Nominum*, Annalibus Bojorum præfixa inter  
alia sic scribens: *Neren*, alere, nutrire: *Narum* / *Norum* / *victus*.  
Inde *Nerein*, & *Norein* proprium Regis, quem Græci & Latini *No-  
ricum* appellant. Quidam Scriptores Germanie *Neronem*, atque *No-  
ricum* nuncupant, unde est *Noreinland*, id est, *Noricum*. Complecti-  
tur nunc partem Bojaria trans Oenum, *Austriam*, *Stiriam*, *Cha-  
riones*, *Tirolos*.

§. XV. Sunt denique, qui nomen urbis ex tribus voculis,  
*Nur ein Berg* / coaluisse volunt. Sed quæ de hac nominis  
ratione afferuntur, cum nullo scriptore nitantur idoneo, parum  
mihi mereri videntur fidei.

§. XVI. Tantum esto de origine nominis *Norimbergæ*:  
quibus coronidis loco addideris, quod nonnulli opinentur *No-  
rimbergam* esse Ptolomæi *Segodunum*. Quamobrem Ricardus Bar-  
tolinus carmine, quo bellum *Noricum* sub *Austriados* titulo de-  
cantavit, lib. IX. juventutem *Norimbergensem* vocat *Segduneci-  
am* *pubem*, ac *Segdunecium* *hostem* dictæ urbis incolas. Neque ta-  
men hætenus de situ *Segoduni* ita discussa sunt omnia, ut tuto  
in hanc sententiam pedibus ire liceat. Rectius tamen, me ju-  
dice, sentiunt, qui *Segodunum* putant esse *Segen*, *Sigen* in *Wet-  
teravia* Comitatus caput ad fluvium ejusdem nominis situm.





# CAPVT II.

## DE ORIGINIBVS VRBIS NORIMBERGENSIS ET STATV EIVS SVB CONRADO II. IMP.

### SVMMARIVM.

1. *Norimberga non videtur urbs esse vetustissima. Senator Norimbergensis apud Pighium putat Noricos ab Hunnis pressos huc concessisse. Hannica excursionses perdurarunt ad tempora Henrici I. 2. Forte Norimberga ab Henrico I. oppidi formam accepit quod tamen Henrico II. tribuit laudatus Senator. 3. Bertius notatur, qui arcem Norimbergensem tempore Caroli M. existisse putat. 4. In antiquis scriptis ante Conradi II. tempora Norimbergæ vix ulla habetur mentio. Habuit quidem ante hunc Conradum Dominos, sed quinam fuerint, non liquet. Sunt qui putent, inter hos fuisse Albertum Franconia Comitem per Hattonis Moguntini perfidiam Ludovico Imp. traditum. 5. Norimberga tempore Conradi II. facta urbs Imperii libera. Prefectorum & Burggravorum Norimbergensium origo.*

### §. I.

**N**orbem non adeo vetustam esse Norimbergam, opus habeo fateri. Enimvero concedamus licet, quod teste Stephano Vinando Pighio, in *Hercule Prodicio*, Carolo Clivensium Duci exposuit inclytæ Norimbergensis Reip. Senator, vir doctus & facundia singularis, lingvarumque peritus, qui Italiam, Gallias & Europæ celebriores provincias non solum, sed etiam Asiæ magnam partem, & accurate Cyprum ac Aegyptum peragraverat; nempe cum Hunni latissima populatione vastarent Europam, & ab iisdem barbaris premerentur etiam Norici, incolarum precipuas quasdam familias in Herciniam sylvam, velut in latebras, profugisse, & ubi Pegnesus & Regnesus amnes confluunt, oportuno loco sedem fixisse: atque in colle vicino natura loci firmo, & ab incursionibus tuto rudi opere castellum munisse: auctam deinde multitudinem esse ex vicinis agricolis, ac Hercinie sylve pastoribus: atque diversorum morum ac artium ex colluvie non diu post in oppidi magnitudi-



*rudinem excrevisse locum*: non tamen ex eo antiquitas urbis elucet satis, cum præsertim Hunnicæ illæ excursionses ad Henrici usque Aucupis tempora perduraverint.

§. II. Et hujus quidem ductu & auspiciis quandoquidem plures Germaniæ urbes fuerint munitæ, parum abest, quin & Norimbergam tum temporis oppidi formam accepisse asseruerim: id quod tamen Henrico II. (modo is sit *Bavarus* ille) tribuit laudatus Senator Norimbergensis. *Sed cum fera gens* (pergit is in Pighii *Hercule*) *sine duce, sine legibus vivens, rapinis & latrocinis dedita, diu infestas redderet vicinas provincias: visum fuit Imperatoribus Germanis, veteranorum coloniam eo deducere, & castrum presidio munire, latrocinia compescere, & inquilinis leges vivendi præscribere. Henricum Bavarum civitatis formam constituisse primum, templo S. Egidii ornasse, jura dedisse, atque castrum ampliore muro cinxisse, quidam tradidere.*

§. III. Quæ cum ita se habeant, ac in Rerum Germanicarum Scriptoribus ante seculum a nato Christo undecimum vix ulla reperiatur Norimbergensis sive castri sive urbis memoria, mirum sane qui tam confidenter scribere aufit Petrus Bertius: *Arcem Caroli Magni aeo hoc fuisse loco constat. Testantur enim historia, Carolum, quum Tassilonem Bavarie Ducem esset oppugnaturus, tripartito divisisse exercitum, unum agmen sedes fixisse juxta Nurnbergam, alterum ad Danubium consedisse, tertium ad Alpes Tridentinas. Desumpta hæc videntur ex Hartmanno Schedelio, cujus verba subjicimus: Constat Nurembergam temporibus Karoli Magni in flore fuisse. Karolus enim Magnus Rex Francorum, qui talia tamque multa gerebat, ut simul Ecclesiam Romanamque Imperium instauraret, Saxonibus domitis, Britonibusque Gallicis sibi fœdere conjunctis pacem cum Tassilone Bajoariorum Duce, Adriano Pontifice Romano sequestre inivit. Sed cum accersitus Tassilo nec accederet, nec obsides ex fœdere promissas mitteret, bellum illi Carolus indixit, ducens in Bajoariam copias tripartito distribuit. Ipse enim cum parte tertia copiarum Nurembergæ & in locis finitimis sua firmabat castra.*

§. IV. Quinimo nondum antiquus mihi est oblatus scriptor, qui ante tempora Conradi II. diserte Norimbergam no-



rram nominasset. Quandoquidem autem sub hoc ipso Con-  
 rado Salico Norimberga libera facta est regni Germanici civi-  
 tas, facile exinde licet animadvertere, jampridem illam sub a-  
 liis floruisse Dominis: de quibus tamen, & quinam illi fuerint,  
 apud Historicos præclariore altum silentium est. At enim Chro-  
 nica Norimbergensia Mss. & cum illis Hartmannus Schedelius,  
 autumant, Norimbergam fuisse in potestate Alberti sive Adel-  
 berti Comitis Franconia, Ottonis Saxoniae Ducis ex Baba filia  
 Henrico Franconiae Comiti nupta, nepotis, qui jussu Ludovici  
 Imp. e Caroli Magni mascula stirpe ultimi, ob fratrem Conra-  
 dum Franconiae Ducem, anno 1000000. interemtum, interce-  
 dente Hattonis Moguntini Praesulis impostura, arce sua Bam-  
 bergensi evocatus, in castra Imperatoris inimica perductus,  
 capite fuit plexus: quemadmodum id pluribus enarrant Witi-  
 chindus monachus Corbejensis *Annalium lib. I.* Luithprandus  
*Histor. lib. II. cap. III.* Ditmarus Episcopus Mersburgensis *lib. I.*  
 Hermannus Contractus in *Chronico ad ann. 100000000.* Otto  
 Frisingensis *Chron. lib. IV. c. xv.* Marianus Scotus *Chron. lib. III. et at.*  
*VI. ad ann. 100000000.* Sigebertus Gemblacensis in *Chronograph.*  
*an. 100000000.* Gotfridus Viterbiensis *Chron. part. XVII.* Conradus  
 Abbas Urspergensis in *Chronico*, ubi agit de Ludovico III. Imp.  
 Vincentius Beluacensis in *Speculo Historiali lib. XXV. cap. LVIII.*  
 Et vero, quia Regino Prumiensis sine *lib. II. Chronic.* ac Otto  
 Frisingensis *d. l.* scribunt, facultates & possessiones Alberti in fiscum  
 redactas, forte in his quoque Norimberga fuit, inque Impera-  
 toris manum pervenit. Sane Franciscus Irenicus in *Exegesi Ger-*  
*maniae lib. III. cap. LVIII. § ult.* tradit: Anno 100000000. sub Conrado  
 (I.) Imperatore ad Imperium venisse Norimbergam. Schedelii  
 verba repeto: Ferunt nonnulli eam urbem fuisse olim sub dominio  
 nobilissimi comitis Francorum Alberti, qui cum fraude Hattonis Epi-  
 scopi Maguntinensis a Ludovico Imperatore obtruncatus, deinde in  
 jus imperii cessisse.

§. V. Ceterum impetratae sub Conrado II. libertatis meminit Go-  
 belinus Persona, Decanus Bilsfeldiensis *Cosmodromii et at. VI. cap.*  
*LIII.* Hic Conradus fuit frater Henrici Ducis Sueviae, quem ipse  
 sibi resistere satagentem, extra fines Imperii expulit. & cum idem Hen-  
 ricus ad Regem Hungariae fugisset, idem Rex in die Parasceves, se-  
 cit



cit ipsi Duci carnes apponi ad mensam, offerens ita bene & licite tali die posse comedere carnes, sicut contra fratrem suum & Dominum guerras concitare. Unde Dux commotus reversus est ad Regem fratrem suum & veniam consecutus Nurenberck sponte reliquit imperio. Hinc igitur aliquoties laudatus Senator Norimbergensis Carolo Clivia Duci apud Pighium narravit: Conradum II. Norimbergam Imperio conjunxisse, liberamque declarasse. Et huic forte Conrado (quod tamen ad Conradum I. nonnulli referunt) constitutio Praefectorum Norimbergensium, der Landvoigte/ itemque Burggravorum Norimbergensium debetur.

## CAPVT III.

### DE STATV NORIMBERGÆ SVB HENRICIS III. IV. ET V. IMPP.

#### SVMMARIVM.

1. Henricus Norimberga celebravit Comitata provincialia Bavaria.
2. Sub Henrico IV. Sebaldina aedes ob crebra miracula inclaruit.
3. Brevis historia vite S. Sebaldi. Conradus Celtes vite S. Sebaldi scriptor.
4. Martinus V. in Bulla Declaratoria Canonizationis S. Sebaldi tradit hunc per quingentos annos pro Patrono Norimbergensium habitum: quomodo origines cultus S. Sebaldi in Conradi I. tempora inciderent.
5. An S. Bonifacius Norimberga templum S. Petri, ac Carolus M. sacellum S. Martini & monasterium Egidianum condiderint. Schedelius notatur.
6. Henricus IV. Norimberga commoratus.
7. Idem Norimberga obviam iuit legatis Pontificis. Idem iterum Norimbergam divertit.
8. Henricus V. Patri rebellis Norimbergam obsidet, quae fortiter defensa ex praescripto Patris filio traditur.
9. Historia de Norimberga ab Henrico V. capta, direpta, diruta, non satis certa. Sigismundi Meisterlein MS. Exaratio rerum gestarum Civitatis Norimbergensis laudatur. is destructionem Norimbergensem confirmat. Suburbium Wehrd non videtur a defensione civium habere nomen.
10. Henricus V. ex Polonia rediit venit Norimbergam.

§. I.

Filium



**F**ilium Conradi II. Henricum III. Norimbergæ op-  
pido gentilitio Concilium universe Bajoaria coegisse, A-  
ventinus auctor est *Annalium Bojorum lib. V.*

§. II. Ex eo tempore frequentior Norimber-  
gæ in monumentis Germanicis est memoria, & sub  
Henrico quidem IV. Sebaldinum templum cœpit inclarescere,  
quod pro illorum temporum superstitione miracula quædam  
ad Sebaldi tumbam crederentur contigisse. Tangunt hoc ipsum  
1070. Antiquorum Augustensium Chronicorum per Matthæum Ma-  
reschalcum de Pappenheim Excerpta Tom. I *Rerum Germ.* Marq.  
Freheri ad an. CIOLXX. *In Nurnberg Sebaldy primum miraculis cla-  
ruit.* Itemque Lambertus Schafnaburgensis, ad ann. CIOLXXII.  
1072. *Clara & celebris valde his temporibus per Gallias erat memoria Sancti  
Sebaldi in Nurnberg, & S. Hemeradi in Hasengun, & magno populor-  
um concursu quotidie frequentabantur, quæ divinitus illic loquenti-  
bus sæpe numero conferebantur.*

§. III. Ferunt autem hunc Sebaldum Regis cujusdam  
Daniæ filium ad Christianam fidem conversum exacto in vita  
eremitica triennio, Romam, auspiciisque Gregorii. II. Pontifi-  
cis in Longobardiam, post in Bavariam ad prædicandum Evan-  
gelium, ac denique Norimbergam concessisse, ibidemque vita  
functum & sepultum. Si quæ huic narrationi fides, memoriam  
forte vulgarem, seu extemporaneum quoddam facellum acce-  
pit corpus Sebaldi, donec vulgata de miraculis opinione cum  
tempore magnificum templum ejus honori fuerit dedicatum.  
Vitam S. hujus Sebaldi Sapphico carmine scripsit Conradus  
Celtes, cujus sequens est exordium:

*Regie stirpis soboles Sebaldæ  
Norica multum veneratus urbe;  
Da tuam nobis memorare sanctam  
Carmine vitam.*

§. IV. Juvat hic loci perpendere Bullam Declaratori-  
am Canonizationis S. Sebaldi & confirmationem Indulgentia-  
rum ejusdem Ecclesiæ in civitate Norimbergenfi Martini V.  
Pontificis Romani VII. Kl. April. Pontificatus sui anno octavo,  
hoc est, XXVI. Martii, Anno CIOLXXXV. expeditam, in qua  
Petitio-



Petitionis Consulium, Proconsulium ac Communitatis Norimbergensis, Papæ exhibitæ hæc leguntur verba: *Quod beatus Sebaldu*, qui de Regum Danie prosapia fuerit, in ipso oppido (quod Imperiale & inter alia aliarum partium oppida solenne multum & insigne famosumque existit) multis & innumeris in illo & ejus circumvicinio coruscaverit miraculis, adeo quod pro Sancto & Patrono oppidi ejus per quingentos annos & ultra, palam ab omnibus fuerit reputatus, prout & in illo ejusque circumvicinio diutim reputetur, præfati que Beati corpus gloriosum in quodam solenni sarcophago, auro & argento decorato, in Ecclesia, quæ dicti oppidi, quæ Ecclesia parochialis principalis est, clausura honorifice conservetur, ac ipsa & nonnullæ aliæ Ecclesiæ, Capellæ & Altaria in præfato oppido, & locis aliis, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis sub vocabulo ipsius Sebaldi sumptuose & magnifice fundata & erecta venerabiliter conspiciuntur. Ex quibus, cum præsertim Pontifex confiteatur, de iis fama publica & fide dignorum relatibus se certioratum & ipsa veritate fultum, foret concludere, jam anno 1066cxvii. hoc est, circa tempora Conradi I. Imp. & Ecclesiam D. Sebaldi notam, & reliquias ejusdem, pro more illius seculi, in veneratione fuisse & ideoque Martinum in dicta Bulla *Indulgentiarum & Gratiarum*, auctoritate diversorum Romanorum aliorumque Pontificum Prædecessorum suorum, sedisque Apostolicæ legatorum, nec non locorum Ordinariorum concessarum, meminisse.

§. V. In MS. quodam gestorum Norimbergensium Chronico, quod per indulgentiam Serenissimi Saxonie Ducis FRI-  
 DERICI, ex Gothana Bibliotheca accepit Clarissimus Dominus Præses, reperi, S. Bonifacium eo loci, ubi nunc Sebalдина ædes habet, templum quoddam S. Petri Apostoli honoribus consecrasse, ac porro Carolum M. super sacellum Martino sacrum, monasterium ordinis Benedictini Ægidianum extruxisse: quod monasticum in aliquibus, certe in fundatore templorum, sapit commentum. Nec melioris reor esse commatis, quod Hartmannus Schedelius consignavit, Carolum M. cum castra prope Norimbergam firmasset, in formam sui tentorii sacellum ibi construxisse, quod postea Leo III. Pontifex ex Germania Romam reversus in honorem Divæ Catharinæ Martyris dedicaverit.

C

§

An-



1073.

§. VI. Anno CIO LXXIII. Henricus IV. Imp. foeda Saxo-  
num defectione agitatus, cum Ratisbonam peteret, *inter eun-*  
*dum aliquot diebus Norimbergae morabatur*, gravissimam Regin-  
geri cujusdam accusationem, ac si praecipuorum Germaniae  
Principum caedem in animo habuisset, ibidem sustinens: id  
quod prolixè, nescio tamen an satis ex fide, commemorat Lam-  
bertus Schafnaburgensis.

1074.

§. VII. Seqventi anno Henricus *celebrata in Babenberga*  
*Paschali solennitate, Nuremberg perrexit obviam legatis Apostolica*

1097.

*sedis: ut est apud eundem Lambertum. Anno CIOXCVII. Henri-*  
*cum Imperatorem ex Italia reducem aliquamdiu circa castrum*  
*Nuremberg moratum, ex Bertholdi Constantiensis ad Herman-*  
*num Contractum Appendice discimus.*

1104.

§. VIII. Anno CIO CIV. Henricus Henrici IV. Imp. filius,  
quem Pater anno CIOXCVIII. regni haeredem declaraverat, im-  
perium habere. quam expectare malens, inque Parentem in-  
surgens sub pietatis specie rebellionem facit. Northusae igitur  
conventu celebrato, collectisque per Saxoniam, Bavariam,  
Sveviamque auxiliis Norimbergam frustra aliquot menses ob-  
sidet. Oppidani fortiter se tutati sunt, donec ex decreto Patris  
filii potestati se submitterent. Auctor vitae Henrici IV. cum ab  
aliis antea, tum a Christiano Vrfisio Tom. I. *Germanicorum il-*  
*lustrum Scriptorum* editus. *Sub specie cause Dei suam causam e-*  
*git. Illico Bavariam, Sveviam, Saxoniam percurrit, Proceres*  
*convenit, attraxit omnes ( ut sunt ingenia novarum rerum cupida )*  
*& subintravit in regiam potestatem, tanquam sepelisset Patrem.*  
*Mox castellum NORIMBERCH minax obsedit, ubi quanta*  
*virtute pugnatum sit, clades utriusque partis argumento fuit. Sed ob-*  
*essus quanto minus spei, tanto plus animi inerat: nisi Imperator sce-*  
*teri parcens, castellum tradere precepisset, adhuc ibi cassa obsidione labo-*  
*raret, excepto, si sola fames, quaecumque expugnat, illud non expugnaret.*  
*Ecce quanta pietas Patri! Reddidit contra filii factum paternitatis affe-*  
*ctum: non attendit injuriam, sed naturam. Maluit oppidum tradi, quam*  
*filii discrimine liberari. maluit ejus injurias tolerare, quam vindica-*  
*re. Igitur oppidani oblata, qualem vellent, pacifera, oppidum tra-*  
*didissent. Meminit hujus quoque obsidionis Norimbergensis*  
Otto



Otto Episcopus Frisingensis *Chronic. lib. vii. cap. viii.* Henricus  
Filius remissis Saxonibus, cum Bajoariis castrum Noricum obsidione  
cingit, ipsoque per duos vel amplius menses expugnato, Ratisponam  
Norici Ducatus metropolim adiit. Ac geminis propemodum  
verbis utitur Conradus Abbas Urspergensis ad annum ciccii.  
Nec pigrabimur adscribere verba Schedelii: *Postea vero quam  
in ditionem imperii venit Nuremberga, summa fide, constantia, &  
officio Romanum Imperium coluit, Regibusque Romanis fidem con-  
stantissima semper servavit. In discordia tamen Cesarum calami-  
tates ac damna gravia pertulit. Henrico enim quarto regnum occu-  
pante, filius ejus Rex Romanorum per divinam, ut videtur, ultionem  
Patrem bello persecutus fuerat. Recessit itaque filius in Nurembergen-  
ses fidem genitori servantes, auxilio suorum fretus, Nurembergam  
obseffam recepit: quod Otto Frisingensis & Goifridus Viterbiensis hanc i-  
gnobiles Historici scribunt.*

§. IX. Ex his igitur patet, non satis esse certa, quæ in vul-  
garibus Mss. Annalibus Norimb. traduntur de Norimberga ab  
Henrico V. capta, direpta, diruta, ac per annos triginta in ruderi-  
bus jacente: quanquam præfractæ non negaverim aliquid ho-  
rum accidisse. Enimvero Sigismundus *Weisterlein*, Ecclesia-  
stes quondam Gründlacenſis in *Ms. Exaratione* (ut vocat) *re-  
rum gestarum Civitatis Norimbergensis*, quam ærumnabili labore,  
evolutis Franconiæ, Palatinatus, Bavariæ, & circumvicinorum  
celebriorum monasteriorum codicibus & Chronicis, circa an-  
num Christi cccccclxxx. congeſſit, *lib. i. cap. xiii.* testatur, se  
vel in viginti quatuor diversorum locorum cœnobiis  
annotatum reperisse, Henricum Juniorem illum oppidum No-  
rimbergense post duos menses captum ac destructum vastasse  
ac diripuisse, in prædamque militibus ad terrorem aliorum di-  
misſiſſe, omnibusque præter castrum dissipatis, soluto exercitu  
Ratisponam se contulisse. Hanc etiam expugnationem paucis  
tangit Schedelius. *Idem, inquit, Henricus Rex Herbipolim petens  
Erlongo ejecto, Robertum præfecit. Deinde dimissis Saxonibus cum  
Bajoariis, castrum Noricum obsidione cingit, ipsoque expugnato Ra-  
tisponam Norici Ducatus metropolim adiit. Quod autem in aliquo  
Mss. Chronicorum legere memini, villam Norimbergæ vicinam*



Wehrd a summo tum civium in patria defendenda studio no-  
men suum accepisse, nullo videtur iusto niti fundamento. Cum  
enim tempore obsidionis mœnia urbis illic locorum circumcir-  
ca interiorem portam Lauffensem, versus plateam, quæ *Die Les-  
der-Gasse* appellatur, producta fuerint; quæ porta interior,  
vulgo *der Innere Lauffer Thurn* / longiuscule Wer-  
da distat: imo alia Chronica, ab altera parte urbis, juxta tur-  
rim prope Pegnesum conditam, hodie *den Wasser-Thurn* di-  
ctam, defensionem contra Henrici impetum tam fortiter susce-  
ptam memorent, non est, quod vel circa Werdam singulariter  
depugnasse Norimbergenses, vel villæ nomen inde inditum pu-  
temus.

1110.

§. X. Anno c10cx. Henricum V. ex Polonia reducem  
venisse Norimbergam, Auctor habet libelli *de fundatione Cœno-  
bii Bigaugiensis* a Cl. Joachimo Johanne Madero cum Chronico  
Montis-Sereni editus.

## CAPVT IV.

DE

STATV NORIMBERGÆ SVB LOTHARIO  
ET CONRADO III. IMPP.

S V M M A R I V M.

1. *Fridericus & Conradus filii sororis Henrici V. Norimbergam a Lo-  
thario Imp. obsessam strenue defendunt.* 2. *Lotharius Imp. genero  
suo Henrico Bavariae Duci in castris ad Norimbergam feudum  
commisit. An & Norimberga feudum Henrici factum.* 3. *No-  
rimberga Lothario Imperatori tradita.* 4. *Conradus III. Hen-  
ricum Ducem Norimbergæ obsedit.* 5. *Conradi III. in augenda  
& ornanda Norimberga studium laudant Mss. Chronica, ta-  
cent edita antiquiora. Recentiores Conradum III. habent pro  
fundatore monasterii ad S. Aegidium.* 6. *Flagrante alibi per-  
secutione Judeorum, iidem Norimbergæ servantur.*

§. I.



Ab excessu Henrici V. Fridericus & Conradus fratres,  
quorum alter Sveviæ Dux, alter Dux Franconiæ, ex  
sorore Henrici Imp. nati novo Germaniæ Regi  
Lüdero ( qui Lotharius II. audit ) resistentes,  
No-



Norimbergam sibi vindicaverant, cumque eam obsidione cingeret Lüderus, tam strenue defendebant, ut re infecta opus haberet discedere. Sic enim habet Dodechinus, monasterii S. Dyfibodi Abbas, *Appendice ad Mariani Scoti Chronicon* anno CIO CXXVII. *Castrum Norimbergense obsesum per duos menses a Rege & 1127. Duce de Bohemia: sed absque effectu soluta obsidio.* Et paulo exactius Otto Frisingensis de *gestis Friderici I. Imp. lib. I. cap. XVI.* Prædictus Princeps consilio ejusdem Alberti Moguntini Episcopi, juxta quod dicitur, *Non missura cutem nisi plena cruoris hiruda, nondum odio in heredes Imperatoris Henrici satiati, Fridericum Ducem, fratremque suum Conradum persequitur. Cujus rei gratia castrum Noricum, ubi ipsi praesidia posuerant, & tanquam jure hereditario possidebant, adjuncto sibi Boemorum Duce Ulrico & Bojovariorum Henrico obsidione clausit. Dux autem Boemorum, eo quod Barbari, qui cum ipso venerant, nec Deum timentes, nec hominem reverentes, omnia vicina depopulando, nec etiam Ecclesiis parcerent, a Principe post aliquod tempus redire permissus est. Idem cap. seq.* Itaque Fridericus Dux fraterque suus Conradus militem colligunt, ac dato oppidanis die ac signo, ipsi quadam die cum militia sua castrum appropinquant. Quod videntes oppidani letitiam cordis dissimulare non valentes, in voces magnas & cantus prorumpunt. Princeps tutius judicans alio in tempore praefatum castrum obsidione cingere, quam infide fortuna fidei se incante committere, obsidionem solvit, ac per Babenberg transiens in civitatem Herbipolim se contulit. Oppidani cum ingenti clamore descendentes, castra jam vacua irruunt, & si qua ibi remanserant, diripiunt, Dominosque suos cum magna letitia suscipientes, in castrum deducunt, Duces oppidani ipsum victualibus aliisque necessariis muniunt: sicque Regem insequentes, illo in civitate manente, irocinium, quod vulgo nunc Turniamentum dicitur, cum militibus ejus extra exercendo, usque ad muros ipsos progrediuntur. Tribus hanc obsidionem verbis tangit Auctor additionum ad Lambertum Schafnaburgensem anno CIO CXXVI. deque eo hæc porro legas apud jamjam laudatum Scriptorem de Cœnobio Bigaugiensi: *Rex castrum obsidet Nurnberch / habens secum Ducem & exercitum Bohemorum. Rex inde per Conradum fratrem Friderici fugatus, inflatus ex hoc nomen regium sibi assumpsit.* Addemus & hæc ex Aventini lib. VI. *Lotharius comite Ulrico Bojemorum Duce Norimbergam*



bergam obsidione clausit frustra. Cives fortiter se defendunt, adven-  
tantibus in auxilium obsessis Conrado Francorum, Friderico Svevo-  
rum procuratore erumpunt, Cesarem cedere cogunt.

§. II. Quandoquidem igitur Conradus Abbas Ursper-  
gensis memorat, Henricum Bavarix ducem ad Imperatorem  
Lotharium socerum suum apud civitatem Nuremberg venisse, & ibi  
Ducatum Saxonie & omnia beneficia, quae Imperator ab Episcopis  
& Abbatibus habuit, in beneficio suscepisse, & ibidem pollicitum eidem  
Imperatori auxilium contra Fridericum & Conradum fratrem ejus,  
id non in ipsa Norimberga, sed in castris ad Norimbergam ge-  
stum autumo. Si vero Weingartensi monacho, qui Chronicon  
de Welfis Principibus condidit, ex codice ms. Augustano ab  
Henrico Canisio Tom. 1. Antiquar. Lektion. editum credimus, ipsam  
Norimbergam ab Imp. socero in feudum accepisset. Sic enim  
habent verba cap. xi. Ipse (Henricus) ad Imperatorem reversus Du-  
catum Saxonie Nuremberch, Grodingen, & omnia beneficia  
quae Imperator ab Episcopis & Abbatibus habet, suscepit, ac rebellio-  
nem idest, Fridericum Ducem sororis suae maritum pollicetur. Ultima  
proculdubio corrupta, & forte ita restituenda sunt: Rebellionem  
contra Fridericum Ducem s. s. m. pollicetur.

1130.

§. III. At enim anno CIÖCXXX. castrum Nurembergense Regi  
traditur: quae ipsa sunt Dodechini ad dictum annum verba.

§. IV. Ad successorem Lüderi Conradum III. pergi-  
mus. Hic Henricum Bavarix & Saxonie Ducem, antecessoris  
generum obsedit in castro Nurnberch, castrumque cepit: quod ab  
antiquioribus praetermissum in Gobelini Cosmodromio aetate VI.  
cap. LIX. legimus. Tangit quoque Aventinus lib. VI. Noreiober-  
bergam, inquit, ubi insignia Imperii erant, obsidet, atque ad dedi-  
tionem cogit. Videantur etiam Johannes Stumpfius, in der Schweis-  
her Kronik lib. II. cap. xxv. & Cyriacus Spangenbergius in der  
Mansfeldischen Chronik. cap. CCXX.

§. V. Alioquin Conradi hujus tertii in agenda ornan-  
daqve Norimberga sollicitum studium prolixè commendant  
Mss. Chronica Norimbergensia: miror tamen in veteribus,  
qui prodire haec Germanicarum rerum Scriptoribus de  
eo nihil reperiri. Si enim exceperis, quae Otto Frisingensis de  
eodem a Norico castro cum suis procinctum movente in Palæsti-  
nam lib. I. de vita Friderici I. Imp. cap. XLIV. ac porro de  
Traje-



Trajectensium legatis eundem apud Noricum castrum ad eun-  
 tibus dicto libro cap. LXII. commemorat; nondum me singu-  
 laria in rebus Norimbergensibus ad hoc ævum pertinentia le-  
 gere memini. Neque tamen plane iverim inficias, Conra-  
 dum Regem pristinæ civium fidei virtutisque memorem No-  
 rimbergam sibi habuisse commendatam. Vnde Hartmannus  
 Schedelius sic scribit: *Conradus Suevus qui defuncto Lothario in  
 Romanorum Regem declaratus erat, ac ducente in Asiam expeditio-  
 nis suavisu divi Bernardi Abbatis Clarevalensis munus assumpsit, eam  
 urbem instauravit: & insigne monasterium & abbatiam ordinis divi  
 Benedicti ad S. Egidium nuncupatum, in celebriori urbis loco funda-  
 vit. Nurembergensia Conrado Regi ceterisque Romanis Imperatoribus  
 incrementum plurimum habuerunt. Et Johannes Nauclerus Chrono-  
 graph. Generat. xxxix. fol. CLXXXIII. b. Conradus Rex Norimbergam  
 urbem instaurasse invenitur, in qua & insigne monasterium ordinis  
 Divi Benedicti ad S. Egidium nuncupatum in celebriori urbis loco fun-  
 davit. Ab hoc Conrado Norimberga incrementum plurimum suscepisse  
 legitur. Idē paulo ante Generat. xxxviii. fol. CLXXVI. b. scripserat:  
 Hunc ego Conradum puto fundasse monasterium S. Egidii in Norim-  
 berg, sub titulo Conradi Ducis Sueviae atque Francorum. Quo ipso  
 nescio an designet, jam ante Conradus quam ad dignitatem im-  
 perialem evehctus, hoc monasterium esse conditum.*

§. VI. Florente hoc Conrado quando Radulphi cujus-  
 dam monachi instinctu gravis in Judæos excitaretur persecutio  
 (id quod a nonnullis in annum CIÖCXVI. refertur) non pauci ex  
 ipsis hujusmodi immanitatem fugientes, in oppido Principis, quod No-  
 ricum, seu Noremberg appellatur, aliisque municipiis ejus ad conser-  
 vandam vitam se receperunt: quam observationem iterum debe-  
 mus Ottoni Frisingensi lib. 1. de Friderico I. cap. xxxvii.

## CAPVT V.

### DE STATV NORIMBERGÆ SVB FRIDERI- CO I. ET HENRICO VI. IMPP.

#### SVMMARIVM.

1. Emanuelis Comneni Imp. Constantinop. legati Fridericum I. Imp.  
 No.



Norimberga conveniunt. 2. Ibidem Colonienſes in eligendo Archiepiſcopo diſcordes coram Imp. diſceptant. Fridericus Archiepiſcopus confirmatur. 3. Fridericus Imp. Norimberga habuit Comitia. 4. Iterum id factum Norimberga. Quid ibidem actum. 5. Fridericus Imp. in aliis comitiis pacem per Germaniam ſancit. 6. Archiepiſcopus Colonienſis ab Imp. Norimbergam citatur. 7. Iſacii Angeli Imp. Conſtantinopolitani legati Fridericum Imp. Norimberga adſunt. 8. Henricus V. Norimberga comitia celebrans Archiepiſcopum Colonienſem ornat. 9. An & quando Henricus V. Norimberga ludos equeſtres celebra- verit. Rixneri liber de Torneamentis multis ſcatet fabulis.

§. I.

**F**riderico I. regnante, cum Græci in Italia turbas-  
 darent, legati Imperatoris Conſtantinopolitani E-  
 manuelis Comneni in Germaniam venerunt. Fri-  
 dericus autem (ceſu denuo ſcribit Otto Friſingeniſis  
 lib. 11. cap. XXIX.) indignatione motus diutiſſime con-  
 ſultabat, an prædicti legati, qui ex parte Principis ſui Manuel ad-  
 venerant, præſentia ſua admittendi, vel tanquam traditores punien-  
 di, vel contempribiliter facultatem redeundi accepturi forent. Tandem  
 inclinatus quorundam precibus, audientiam eis præſtare diſponit, &  
 ob hoc dies eis in Norico caſtro menſe Julio præſcribitur. Itaque Im-  
 perator (quod ſequenti capite refert Otto:) menſe Julio in Nori-  
 co caſtro, ubi Græci ejus maieſtati præſentandi erant, morabatur.

§. II. Quomodo ibidem Colonienſes, qui in eligendo  
 Arnoldi Archiepiſcopi ſucceſſore iſerant in partes, per tridu-  
 um coram Friderico decertaverint, pluribus itidem exponit  
 Otto. Nec pigror adſcribere, quæ hanc in rem ex Chronicis  
 Pontificum Colonienſium affert Monachus Nuſſienſis Magni  
 Chronici Belgici compilator pag. 187. Quadrageſimo ſecundo  
 loco ſucceſſit in regimine Pontificali Colonienſis Eccleſie anno Domini  
 MCLVIII. Pontificatus Adriani Pape hujus nominis quarti anno  
 quarto, venerabilis Pater Fridericus, hujus nominis ſecundus, filius  
 fratris Brunonis, de quo ſupra dictum eſt, natus de Daffele, prius  
 Eccleſie Sancti Georgii Colonienſis Præpoſitus, qui non canonica ele-  
 ctione, ſed propinquorum factione, & juvenum clericorum electione &  
 favore



favore Archiepiscopatum est adeptus. Addunt quidam, quod per simoniam constitutus sit ab Imperatore: cum omnium piorum electio in Gerhardum Bunnensem Præpositum conspiraret. Itaque utraque partes ad audientiam Imperialem apud NUREMBERG conveniunt, ibique infecto negotio rursus Ratisponæ Imperatorem adveniunt: ubi cassata priori canonica electione, favore Principum Fridericus ab Imperatore Archiepiscopatum suscepit.

§. III. Idem Fridericus Imperator Norimbergæ comitia habuit anno CIOCLXV. quibus in militibus contra rebelles Lombardos ituris certa decernebantur stipendia. Pauca Auctoris Chronici Montis-Sereni huc facientia afferemus: In curia Nurenberg stipendiaria itineris in Lombardiam adjudicarunt. 1165.

§. IV. Anno CIOCLXX. alia Norimbergæ a Friderico celebrata sunt comitia. Quid præcipue ibidem gestum, recensendo verbis Auctoris incerti, qui Radevico Canonico Frisingensi de gestis Friderici. I. post Ottonem Episcopum scribenti Appendicem attexuit. Imperator circa Purificationem S. Mariæ Norimberch Curiam celebrat, ubi Regem Boëmiæ qui offenderat, de facili in gratiam recepit. Albanum Pataviensem electum a suis ab Episcopo perturbatum spe tantum in Episcopatum restituit, effectus minime. Nam offensus erat ei propterea, quod a Christiano consecrari abnuvit. Ob hanc etiam causam Chunonem Ratisponensem electum graviter ibidem tractavit, & curiam ei de hoc verbo utque in proximam Pentecosten præsignavit: quatenus aut ordines a Christiano reciperet, aut Episcopatum dimitteret. 1170.

§. V. Anno CIOCLXXXVII. Fridericus Imperator (quod ex Abbate Urspergeni repeto:) jam cruce signatus, conventum Principum apud Norimberch coadunavit: Ubi de pace terræ disposuit, & in literas redigi iussit: quas literas Alemanni usque in præsens Friedebrieff, id est, literas pacis vocant, nec aliis legibus utuntur, tanquam gens agrestis & indomita. Ipsas literas exhibet laudatus Abbas, quarum hæc est clausula: Actum Nurenberg in præsentia Principum, consilio & consensu eorum. Anno incarnationis CIOCLXXXVII. III. Kalend. Jan. Gemina legas apud Nauclerum Chronograph. Generat. XL. 1187.

§. VI. Quid anno sequenti per Fridericum Imperatorem gestum 1188.

D

gestum



gestum Norimbergæ, sequentibus exponit Godefridus S. Pantaleonis apud Coloniam Aprippinam Monachus: *Imperator Purificationem S. Mariæ apud Nurnberg agit, ubi Archiepiscopo Coloniensi post plurimos dies ex sententia præfixos, quos ille supersedit, tandem peremptorium diem judicialiter posuerat. Quo cum idem Præsul occurrisset, inde usque Latere Jerusalem ad Curiam Mogontia causa induciata est.*

1189. §. VII. Anno CIOCLXXXIX. priusquam Fridericus Cæsar in Palæstinam contra Saladinum moveret, Isacii Angeli Constantinopolitani Imp. legati Norimbergæ Fridericum convenientes, eidem securum pollicebantur per terram Domini sui transitum. Habet id Auctor Chronici Monasterii S. Vdalrici: *Imperator, inqviens, a terra movit & mari expeditionem adversus Saladinum, quem Rex Græciæ Isachar primo missis legatis Nurnberck juravit se honorifice suscepturum, & securum ei transitum præbiturum.* Meminit non horum modo, sed & ipsius Saladini, ut & nescio cuius Arabum Regis legatorum Auctor libelli Bigaugensis: *Imperatore Nurenberck existente, missi ad eum legati a Rege Græcorum, a Soldano, & Rege Arabum.*

1190. §. VIII. In Pentecoste anni CIOCX. Henricus Rex Friderici I. Imp. filius curiam apud Nurnberck habuit, ubi Archiepiscopum Coloniensem curtes omnes ab eo quondam invadiatas absolvit, colonia quadam & monetas concessit. *Nuebatur enim eum modis omnibus sibi allicere, eo quod vir strenuus, & victoriosus esset: uti hæc ad laudatum annum consignavit Godefridus Coloniensis monachus.*

§. IV. Quod si autem hic Henricus VI. unquam Norimbergæ ludos illos equestres Torneamenti nomine insignes celebravit, id præsentis potius nonagesimo seculi duodecimi, quam anno septimo & septuagesimo factum crederem: quem tamen iis assignasse video Georgium Rixnerum in Germanico illo de his ludis opere. Ceterum nisi fabulosa sunt omnia de his ludis Norimbergæ actis, quæ prolixè ibidem a pagina centesima per sequentes decem traduntur, multa tamen fictitia & commentitia in iis haberi, nemo negabit puto, qui in horum temporum historia sollicitius paulo versatus est. Et vero admodum



dum bene est, quod jam viri Germanicas historias præclare docti Rixneriani hujus operis viderint notaverintque officias: in quibus præcipue habeo laudare non Juliæ tantum Academia, sed totius orbis eruditi ævo suo decus Henricum Meibomium: cujus hæc sunt verba in lectissimis ad Lerbecii *Chronicon Comitum Schouvenburgensium Notis* (pag. 58.) Ille Rixneri liber de *Torneamentis*, quantum ad primos istos ludos attinet, totus est fabulosus & commentitius. Idem in Annotationibus ad *Chronicon Corbejense Witichindi Annalibus* juncto ista affert: *Explodendæ igitur Georgius Rixnerus, evulgator libri Trojaminum, explodendus Laurentius Hochwartus, Canonius Pataviensis, consarcinator genealogie Comitum Salmensium, aliique ejus farine palatores, qui, invita veritate, tantum ut familiis splendorem addant, peregrina nomina ad nauseam inculcant.*

F I N I S.

---

D Vice ac egregium est pro Patriâ mori.  
Dulci sed Patriæ vivere, scribere,  
Hanc orbi celebrem reddere, maximus  
Est virtutis honor, gloria longior.  
Prodest officio, qui moritur, semel:  
Se servans, Patriæ serviet is diu.  
Hæc pectus meditans nobile STRAVBIUS,  
Non tritam hic aliis ingreditur viam,  
Et primus, Patriæ primitias dicans,  
Urbis non faciles pandit origines.  
Hoc Gnatum studio noscere γνήσιον  
Mater magna potest. Et Patriæ pius,  
certum est, a Patriâ Cultor amabitur.

Norimb. D. Convers.

Pauli A. MDCLXXIX.

*Ita Nob. Autoris & Respondentis  
egregiis ausis gratulatur*

SIGISMUNDVS A Birkem.





25  
11  
4272

Hier muß mehr / als Eichen-Blätter  
Oder schlechter Lorber sein:  
Einen Vaterlandes Ketter  
Lohnt kein Blat / kein Erß noch Stein.  
Ob gleich wieder Kost und Wetter /  
Marmel-Säulen / Zedern-Bretter /  
Ja Metall und Helffenbein  
Sein Gedächtniß auffbehalten / und der Nach-  
Welt bilden ein.

Wer so löblich sich bemühet /  
Daß Er seines Landes-Preis  
Motten und der Nacht entziehet /  
Und ihn vorzutragen weiß;  
Dessen Nachruhm grüñt und blühet  
Vielmahl edler: Ja er fliehet  
Durch den wohlgenützten Fleiß  
Von den niedern Pösel-Bildern in den obern  
Helden-Gravß.

J. von Mellen.



VD 17



glov, co  
manic  
sima,  
operib  
ma R  
ta. Q  
urben  
Cassa  
CCCL  
Sab  
Ponti  
civira  
astico  
que se  
gular  
  
co, pa  
berg  
lita  
conf  
Germ  
mat:  
poris  
auct  
  
Sene  
dibu  
quan  
qua f  
deside  
E pr  
ab ex  
ditia  
Lau  
fosfa  
dign

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak** LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White

decus Imperii Ger-  
as gentes nominatis-  
lusimum, magnificis-  
sima ac florentissi-  
olar appellari soli-  
commodissime sitam  
hte zu Land: in der  
Anno Christi 1100  
m. II. der Reichs  
I. & Nicolaus V.  
artium Imperialibus  
ac famosam, Ecclesi-  
issimis, etiam utrius-  
Reipubl. Politia sin-  
  
hyla, homini Græ-  
nto floruit, Norim-  
II. Νοβεργου appel-  
ium attentius cum  
Scriptorum Rerum  
ondyla locum excla-  
licet, qua tunc tem-  
postea multis modis  
  
Sylvius Cardinalis  
ens, non parcis lau-  
, rogamus, inquit,  
mœnitas, qua delitia,  
ni ex parte perfectam  
Franconia inferiori  
aristas? quod decus  
qua domorum mun-  
quid splendidius D.  
s, vel munitius? quid  
edes invenias Regibus  
quam mediocres Na-  
1110-

